



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

114811-B

ALT-



• 114811-B



DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PRINCIPIIS JURIS NATURÆ,  
GENTIUM ET CIVILIS.

2 V A M.

Annuente Deo Opt. Max.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

**D. HERMANNI BOERHAAVE,**  
A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, HU-  
JUSQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-  
BATAVA PROFESSORIS ORDINARIÏ,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissima Facul-  
tatis JURIDICÆ Decreto,*

**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
Summisque in UTRAQUE JURIS Honoribus, & Privilegiis rite  
ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini submittit*

**CORNELIUS BACKER,** *Amstel. Batavus.*

*Ad diem 9. Julii 1714. horâ locoque solitis.*





V I R O

*AMPLISSIMO, SPECTATISSIMO,*

D. JOHANNI BACKER, J. U. D.

REIPUBLICÆ AMSTELODAMENSIS

SENATORI, JUDICI, EJUSQUE NO-

MINE AD CONSESSUM RERUM MA-

RITIMARUM QUI MEDIOBURGI

EST DELEGATO ; PARENTI EXO-

PTATISSIMO, AD ROGOS USQUE

OMNI REVERENTIÆ ET OBSEQUII

GENERE COLENDO, PROSE-

QUENDO.

*HANC DISSERTATIONEM*

*LUBENS MERITO-*

*QUE OFFERT.*

CORNELIUS BACKER.







DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PRINCIPIIS JURIS NATURÆ,  
GENTIUM ET CIVILIS.

Caput Primum.

*In genere jus aliquod dari debere ex hominis  
essentia colligitur.*

**N**uris naturæ investigaturus principia, ne frustra de jure suscipiatur disputatio, si ipsum jus nullum; ad præmuniendum hoc opusculum necessarium prius adduxi axiomatis loco probare in genere jus aliquod dari debere, unde deinceps, ut in Mathematicis disciplinis fieri solet, consequentias quibus hæc mea innixa est dissertatio eliciam, factus hac in re principem, & immortalis laude dignum Juris N. interpretem HUGONEM GROTIUM.

A 5

TIUM.

TIUM, qui in egregio suo *de Jure Belli & Pacis* opere hunc ipsum ordinem servavit ut ex §. 5. & passim ex prolegomenis patet; quatuor enim in iis refellit sententias; *Primam* illorum qui statuunt jus naturale esse nullum: aut, si sit, summam esse stultitiam; nam homines una cum aliis animantibus ad utilitates suas natura ducente ferri: ac proinde stultos esse, si justitiam sectantes sibi noceant, ut commodis alienis consulant, *d. §. 5. proleg.* verum hanc sententiam infra sumus examinaturi. *Secundam*, jura esse inventa metu injusti §. 18. *prol. Tertiam*, justitiam, quæ à civibus exigitur, in populi rectore insuper esse habendam, §. 21. *Quartam* denique, in bello omnia jura cessare, §. 25. Sed cum illæ solidissime ibi videri possint refutatæ, & de cætero hujus mei instituti non patiatur ratio, ut in singulas ex professò inquiram; illis omissis, unico, sed ex inconcussis petito principis argumento, id, quod exponendum suscepi, probabo: scilicet cum DEUS Hominii præter insignem corporis habilitatem, supra reliqua animantia singulare mentis dederit lumen, cujus ope res posset accuratius comprehendere; eas inter se conferre, ex notioribus ignotiora colligere, ordinem ejusque vim, numerum, pondera & mensuram intelligere, deque rerum convenientia inter se judicare, atque inter bonum & malum facere dilectum, discrimen boni majoris & minoris cognoscere, & quæ plura habet PUFF. *lib. 1. cap. 1. §. 2. junct. l. 1. c. 1. §. 7. in med.* necessario normam aliquam, in actibus suis regendis debet observare. At vero illa norma GROTIUS *l. 1. c. 1. §. 9.* alio nomine JUS vocatur & quia non ab institutione humana, verum ab ipsa natura ducit originem, nobis in sequentibus JUS NATURÆ dicitur.

Sed hisce forsitan aliquis objiciet; ex ea qua homo præditus est voluntate, id est facultate ex intrinseco velut impulsu sese convertendi ad eas res, quæ ipsi congruæ videntur & avertendi se ab illis quæ displicent, sequi, cum cogi esse nescium. Verum illi pro me respondit alter GROTIUS, nempe S. PUFFENDORFFIUS *de jure nat. & gent. lib. 2. cap. 1. ex hominis dignitate, pravitate, ingeniorum varietate & imbecillitate naturali* liquido demonstrans voluntatis libertatem homini naturalem semper cum vinculo aliquo rectæ rationis & legis naturalis esse in-

tel-

telligendam ; cui add: CUMBERL. *de leg. nat. cap. 2. §. 4.* præclara ex humani corporis structura afferentem. An autem jus illud homini cum brutis sit commune *cap. 2. videbitur*, ubi ejus principia specialius & accuratius exponentur, & reliqua, quibus H. GROTIUS & ad eum stupendæ eruditionis Vir CL. GRONOVIUS illud adstruxerunt, argumenta urgebuntur; studio enim iis tanquam præmaturis, cum pro fundamento socialitatem, de qua nulla hucusque nobis injecta mentio, substernant; hic abstinco.

## Caput Secundum.

*Varia de juris naturæ principii sententiæ referuntur, quæque in accurata principiorum indagazione observanda, afferuntur.*

**A**dstructa Juris N. necessitate ad fontes, unde peti debeat, procedendum, de quibus cum variaz variorum sint sententiæ; primo præcipuas illarum una cum rationibus ob quas eas rejicimus adferemus, illam deinceps quam nos veram putamus subjecturi. verum antequam illud aggrediamur, monendum, *per juris naturæ principia* fundamentum nos intelligere, cui omnia legis naturæ præcepta innituntur, & unde rectæ rationis ope rite possunt deduci, quod quamvis à nobis, angustis dissertationis inauguralis terminis inclusis, fieri non possit, egregie tamen præstitum videri potest ab H. GROTIO, PUFFENDORFFIO aliisque, qui de omnibus Juris N. partibus egerunt.

*Jus naturale esse quod natura omnia animalia docuit*, adeoque hominibus cum brutis commune, statuere juris nostri civilis Romani interpretes videntur in *l. 1. §. 3. D. de just. & jur.* quam sententiam illos ex Stoicorum philosophia hausisse putant *Just. Lipsius Philosoph. Stoicor. lib. 1. dissert. 8. Puffend. lib. 2. cap. 3. §. 2. & Cl. Buddens dissert. 1. de erroribus Stoicor. quæ est inter ejus analecta historia philosophica*, alii vero, inter quos D. Barbeyrac *in not. ad d. loc. Puff.* nunquam illam Stoicorum fuisse sententiam

tiam afferunt; Celeberrimus Jct. G. NOODT studiorum meorum, inter alios diversis in facultatibus stupendæ doctrinæ viros, fundator egregius, distinctione optima hanc litem componit; veteres nempe inter prima naturæ & id quod nos jus naturæ, illi jus gentium vocabant, distinxisse; sic enim Cicero lib. 3. off. c. 17. duas tantum juris ponens species; itaque majores aliud jus gentium, seu naturale, aliud jus civile esse voluerunt. atque existimasse illa nos cum brutis habere communia, hoc vero rectam rationem nos solos præter animantia ejus ignara docere. cujus distinctionis hoc videtur esse fundamentum, quod in d. l. 1. §. 3. talia juris naturæ afferantur exempla, quæ prima tantum nature continent, in §. autem 4to. ejusd. leg. jus gentium ab iis diversum & solis competens hominibus describatur, convenienter pr. inst. si quadr. paup. fec. dic. ubi disertis verbis dicitur animalia sensu carentia: juris perita dici non posse: in eo tamen peccarunt memorati interpp. quod instinctum, ad quem cæco quodam impetu bruta feruntur, juris nomine insigniant: sed quicquid est, evidentissime liquet, nos jus cum brutis commune habere non posse; nam ideo tantum homo juris capax est, quia cum intellectu voluntatem habet, quæ in utramque partem sese fl.tere, adeoque ad normam aliquam moralem componere potest: & quia à potestate superioris non est immunis.; at vero cætera entia, licet superiorem agnoscant, ad uniformem tamen agendi modum intrinsecus sunt determinata & stimulis sensuum citra ullam præcedentem reflectionem, quicquid in contrarium molitur, aguntur. Nec movet in contrarium, quod brutis in quibusdam ut fœtum procreatione & educatione, sui que defensione &c. cum hominibus conveniat, quoniam illa irrationali impetu, hi vero ex dictamine rectæ rationis talia faciant. adeoque vere locum hic sibi vindicare potest vulgatissimum in jure nostro proverbium,

*Cum duo faciunt idem non est idem.*

*Omnium gentium, aut certe moratorum, consensum, probabile & à posteriori aliquid esse juris naturalis argumentum continere puto, una cum Grotio de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 12. rerum enim moralium natura ex operationibus cognoscitur, at vero universalis esse-*

effectus universalem quoque requirit causam, quæ vix ulla videtur esse posse præter sensum ipsum, qui communis dicitur; verum licet plurimis hic probandi modus pateat incommodis quæ recenset *Puff. l. 2. c. 3. §. 7.* non plane tamen rejiciendum esse sublatis objectionibus probat *Cumberl. de legib. nat. proleg. §. 1, 2, 3 & 4*; sed pluribus de hoc juris N. probandi argumento non agam, quia id hujus dissertationis scopus, utpote longe excellenuiori, à priori sc. aliquid esse juris N. probandi modo intentæ, non requirit.

*Ex utilitate singulorum omne jus N. metiendum esse:* asseri potest, & negari pro diversa *Utilitatis* significatione; vel enim id quod pravo affectuum male compositorum judicio utile videtur, significat; qualis utilitas *spuria* dicitur, illos plerumque, qui præsentibus ac cito transituris commodis deliniuntur, decipiens: & tunc negamus ex illa juris N. peti posse principium. vel secundo, significat id quod recta ratio, quæ non tantum præsens, sed & quod in futurum inde sit emersurum perpendit, utile judicat; & tunc *cap. seq.* demonstrabimus validissimum pro jure N. illam continere argumentum, cum fieri nequeat, ut homo utilitatem suam vere promoveat, si suæ fidens potentia alios sibi demereri non studeat, adeoque socialis non sit. Illis ergo quæ ibi habentur huc translatis, facillime ad omnes quas *Puff. l. 2. c. 3. §. 10. & 11.* ex professio hanc quæstionem tractans movet objectiones, poterit responderi.

Alii denique *ex ipso jure Dei creatoris & divina justitia, juris naturalis ut ejus imaginis & expressionis, fundamentum ac SCATURIGINEM, EX QUA, UTI EX FONTE rivuli, ex radice rami, omnis derivanda erit justitia ratio; petunt, non vero ex convenientia cum natura rationali ac sociali:* Sed non obstante quod illam sententiam Vir Celeberr. J. VOET præceptor meus, dum viveret, in jure primarius, hujus Academiæ & totius litterati orbis ingens atque immortale decus, foveat comment. *ad Digest. Tit. de just. & jur. n. 17.* ab ea tamen recedere religio mihi non est; nam præterquam quod obscurissima sit ac principii petitionem contineat (*non enim de principiis essendi, ut ajunt, sed cognoscendi juris N. hic agitur*) & nemo tam impius credatur futurus, ut asserere audeat legem naturalem aliquid in se sanctitati & justitiæ divinæ re-

pugnans continere; difficile tamen est probatu legem naturalem ita ad sanctitatem & justitiam divinam esse expressam, ut quomodo Deus se adversus homines, ita etiam homines adversus se invicem, jubente lege naturæ gerere sese debeant, cum non appareat, quomodo jus inter æquales valiturum ex eminentissimo illo jure quo creator adversus creaturam suam utitur peti possit, ex eo enim infinita Deo competunt quæ hominibus non licent. Nec facit in contrarium quod *D. Vir Celeberr.* asserat sententiam, quæ naturam rationalem ac socialem juris N. statuit fundamentum, petitionem principii continere; illud enim tum demum procederet, si nondum probato, quod natura hominis rationalis esset & socialis, inde jus N. deducere vellemus; eo vero præstito, consequentia perquam legitima nullamque principii petitionem continente, illam pro juris N. fundamento substernere possumus. Quod ad *Alterum* illius Viri argumentum, cujus & MAURICIUS meminisse in *specimine Juris Publici c. 4. §. 32. Officia erga Deum & semet ipsum illo principio non contineri: Resp.* contrarium ex eo evidentissime liquere, quod fortissimum pro existentia Dei atque adeo pro ejus cultu argumentum ex ipsa ratione peti debeat; teste *Cumberl. de legib. nat. c. 1. §. 2, 3, 5 & 6.* quodque eadem natura quæ homini socialitatem erga sui similes imponit eum tanto magis sibi ipsi commendat, quod ipse *Vir cl. d. n. 17.* innuit. ex *Tertio* citati Viri argumento, quod jus naturale omni humana societate sit antiquius: liquet, illum socialitatem cum societate confundisse, eo ipso enim quo homo conditus fuit momento existit animal rationale ac sociale. Ad *Quartum* Rl. socialitatem non ex jure natura, ut ipse vult, sed jus naturæ ex socialitate esse petendum: ex naturæ enim, ut statim videbitur, constitutione, quam ex libera summi numinis voluntate homo accepit, socialitas descendit; etsi eo sensu, qui tamen ad principium essendi, de quo nos non agere superius jam sumus professi, pertinet & plurimum ab eo qui illud ex divina justitia descendere facit, differt, quis Deum auctorem juris naturæ dicere velit nullo modo nos, consentiente itidem *Grotio prol. §. 12.* habebit adversarios; quin potius *cap. 5.* vim legis ex Dei auctoritate & sanctione naturæ rationalis & socialis nancisci dictamina sumus dicturi. Reliquas de principis juris N.

N. sententias, quas *l. 2. c. 3. §. 5.* recenſet *Puff.* brevitati quantum poſſum ſtudens ſciens hic prætermitto; cum illis & omnibus quas hætenus offendi, ex iis quæ jam dicta fuerunt aut in ſequentibus dicentur, ſatis queat reſponderi.

Hiſce præmiſſis ut majori cum fructu ad eruendum tanti ponderis principium laboremus, obſervandum, in eo pleroſque tam ſacros quam profanos auctores convenire, quod ex ipſa hominis ratione juri naturæ principium petendum eſſe exiſtiment; licet enim S. S. cui nos Chriſtiani indubitata teſtimoniorum fide convicti credimus, multum lucis in juris naturæ præceptis detegendis afferat, nihil tamen impedit, quo minus abſque revelationis ope, ſolis rectæ rationis viribus ſuffulti ſolide illa demonſtremus; nam inter Chriſtianos illorum veritatem ratio multum adjuvat; inter ethnicos vero non eſt ut abſque ea probentur. ut igitur recta rationis dictamina à pravis diſtinguantur, ſciendum, illa eſſe *principia qua cum rerum natura probe examinata conveniunt aut legitima conſequentia inde ſequentur.* nihil enim natura indicat niſi quod exiſtit cujuſque cauſa eſt, in quo nihil poteſt eſſe falſi, quippe quod ſolum ex errore hominum oriatur. hæc è contrario *principia qua cum rerum natura non conveniunt aut falſa conſequentia inde deducuntur:* Sed non tantum vera debent eſſe *principia,* verum etiam ita *perſpicua,* ut mens noſtra plene iis poſſit acquieſcere nec ulla ulterius probatione indigeat. ad talia autem, in hac noſtra materia, invenienda, nulla, niſi fallor, propior magiſque appoſita via eſt quam ipſam hominis naturam, conditionem & inclinationes ejus accuratius intueri; inde vero ſequi liquido me *capite ſequenti* ſpero demonſtraturum, naturam hominis rationalem ac ſocialem genuinum & adæquatam juris naturæ à priori probandi eſſe principium.



## Caput Tertium.

*De socialitate primo. Juris Naturæ principio.*

**C**um capite primo ex boni malique notitia fluere probaverim dari jus aliquod, homines illi alligans, ab hoc vero absterrens, ordo postulat ut, principium ex quo cognosci illud queat allaturus, in boni illius naturam accuratius inquiram, ad quod causæ tam remotæ quam proximæ, quæ hominem constituerunt ac jam conservant, quæque eum in posterum tueri aut corrumpere possunt, veniunt considerandæ; sed cum ex Celeberrimorum hujus & superioris ævi Physicorum & Medicorum libris, accuratissima harum, quantum quidem fieri queat, peti possit notitia, ea hic præsupposita, dicam; necessario hominem inde adduci ut universi hujus conditorem DEUM agnoscat, semet ipsum vero tanquam exiguam humani generis ubicunque sparsi particulam, adeoque bonum suum à reliquorum rationalium respectu non esse separandum; frustra enim felicem se quis fore sperabit, si cæteras extra se causas rationales, DEUM nempe & homines, à quorum auxilio spes illa necessario pendet, negligat.

Posito ergo, quod à nullo sano homine cum aliqua veritatis specie negari posse audacter asserto, auctore omnium DEO; evidentissime ex regulis motus quem DEUS omnibus rebus impressit patere dicimus; *omnia debere perflare eo quo cæperunt statu*: i. e. sui conservationem appetere, adeoque hominem ex eadem naturæ suæ imposta lege ad idem quoque tendere debere. sed cum illud absque sui similium ope consequi nequeat, necessario cum illis non in belli sed benevolentiae seu sociali statu vivere cum oportere; qui status quatenus DEUM respicit *religio* vocatur. sed cum ex singulari divini numinis gratia; interiora ejus mysteria cum excellentiori præmiorum remuneratione per S. S. nobis sint revelata, de illa quæ ex solo naturæ lumine hauriri potest theologia nil dicam, revelatam autem interpretibus ejus exponendam relinquo. *Socialitatem* vero homini naturalem & sic

ju-

juris ei à natura impositi principium esse, ut ulterius adstruam, primo ex ratione petitis, utpote validissimis, utar argumentis, quæ deinceps variorum veterum tam sacrorum quam profanorum auctorum judiciis confirmabo, ad exemplum quod mihi suggestit H. GROTIUS *prol. §. 40. 46. & 47.*

*Primo* ergo fingamus nobis hominem hunc in mundum, non refert unde, projectum ac socialitatis expertem hominum reliquorum fugere potius, quam appetere consortium; nonne miserima ejus, sive infantem sive hominem factum cum supponas, futura est conditio? infanti sane miserime esset pereundum, nisi, velut per miraculum, brutum aliquod morienti ubera admoveat. homo vero factus, licet obvium quodque in cibum potumque arripiendo & contra aëris injurias antra subeundo, mortem inedia aut frigore obire non cogeretur, feram tamen ac belluinam & ad minimum alterius animalis strepitum, inermis utpote & ad resistendum impar, trepidantem omniumque reliquorum animantium pessimam tamdiu vitam ageret, donec propria experientia ac ingenio, aut exemplo ex quorundam animalium solertia petito, vitam aliquomodo muniret cultioremque redderet.

*Cum varias usus meditandò extunderet artes.*

Ut ait poëta. Verum quam sit difficile imo impossibile, ut ita dicam, illarum utilissimas proprio Marte absque aliorum hominum amico consortio & auxilio invenire, pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.

*Secundo* præter illam indigentiam & in genere summam infelicitatem, quam homo solus absque aliorum hominum ope subire deberet, una cum PUFF. *l. 2. c. 3. §. 14.* observamus, manifestum quoque esse post DEUM ex nulla alia creatura plus subsidii homini posse accedere quam ex sui simili; hominum quippe natura, adeoque quæ ipsis bona aut mala, è nostra natura magis nobis nota est quam reliquorum animalium, uti ratiocinatur CUMBERL. *de legib. nat. cap. 1. §. 14.* quanquam enim singulorum vires ad sui ipsius conservationem adeo tenues deprehendantur, possunt tamen singuli in aliorum usum plurima conferre, quæ nulli ipsis inservirent commodo, nisi in alios homines illa dispensarent i. e. nisi sociales essent. Duo tamen hæc argu-

menta non satis esse efficacia vult HERTIUS *diff. de social. prim. jur. nat. principio sect. 1. §. 4.* quia inde colligi posse putat, socialitatem neutiquam ad unversum genus humanum se porrigere, imo intra fines multo angustiores pro modo utilitatum contineri, atque adeo latrones ac imperia, se sanguinem humanum effundant externosque opprimant habere quemadmodum se excusent, se sc. utilitatis & securitatis causa hæc facere: sed cum hujus cap. initio probaverim unius individui utilitatem veram (ad spuriam enim hic nullomodo esse attendendum, vid. PUFF. l. 2. c. 3. §. 10.) nec deberi nec posse ab universi generis humani utilitate separari, apparet nullius momenti hanc esse objectionem, & validissima pro socialitate illa esse argumenta, imo me iudice, longe validiora sequenti, unde ipse HERTIUS, rejecta hominum indigentia naturali, socialitatem deducit argumento hoc modo concepto; *Homo est animans nobilitate natura supra bestias longe constitutum, inter cetera excellunt in eo vis intellectrix, accedunt tot. alia communicandi instrumenta ad colendam socialem vitam oportunissima, quibus facultatibus non potest non unusquisque intelligere se à DEO productum & tantam mentis vim singulis collatam, ut, divino numine cognito inter se placide & iuste vitam agerent, cultu omni ac veneratione DEUM prosequentes & sese mutua benevolentia complectentes: huc usque Vir GL: sed, licet omnia quæ dicit sint verissima, non satis tamen accurate, uti ego quidem opinor, ratiocinatur; nam ex eo quod homo aptus est ad societatem in quo omnis ejus argumenti, demta sc. indigentia naturali, vis consistit, non sequitur, eum statim etiam socialem esse, non enim semper quis ea omnia agit, ad quæ aptus est: & socialitas non tantum aptitudinem, uti ille vult, sed & inclinationem hominis ad societatem significat. nostra vero argumenta evincunt hominem sanum non posse non esse socialem: nec instantia quam D. VIR CL. facit *ecquis enim tanta dona hominibus frustra credit attributa, contrarium evincit; licet enim ex donis quæ ille affert, socialitas non necessario sequatur, frustra tamen hominibus tributa non sunt, cum uti VIR ipse CL. innuit, & est verissimum, per ea ipsa DEUM, tanquam universi hujus auctorem, agnoscendum & colendum esse intelligant. Sed quid verbis opus est, ubi ipsum HERTIUM naturalem indigentiam pro socialitatis fundamen-**

ro agnoscentem habeamus? id vero facere necessario debet ceteri, cum ex regula, *qua tibi fieri non vis hac ne feceris ulli*, socialitatem & jus naturale deducit, dictam enim regulam aliunde quam ex naturæ indigentia demonstrari à priori non possit ultro claret. Concludamus ergo & dicamus ex hisce omnibus liquere, nostrum ad socialitatem probandam argumentum & fortius longe esse, & immerito ab HERTIO improbari.

Sed ut promissis in *hujus capituli initio* factis stem, illustriora quædam ad socialitatem probandam ex S. S. & Profana Historia loca adjiciam; & *Primo* quidem non parum ad socialitatem facit communis ortus consideratio & ratio, quam ipse DEUS creatæ a se *Eva* reddit *Genes. 2. §. 18.* nam ut *lib. 12. de Civit. DEI c. 1.* AUGUSTINUS observat *unum atque singulum creavit non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas, vinculumque consordia, si non tantum inter se natura similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necerentur; quando nec ipsam feminam copulandam viro, sicut ipsum creare ei placuit, sed ex ipso, ut omne ex uno diffunderetur genus humanum & ei convenienter FLORENTINUS* *Jctus l. 3. de just. & jure; cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.*

LACTANTIUS argumentum, quod nos jam supra adduximus sic exprimit *lib. 7. cap. 4.* *ceteris animantibus quia sapientia non data est, munita indumentis naturalibus & armata sunt, homini autem pro his omnibus, quod erat precipuum, rationem solam dedit, itaque nudum formavit & inermem, ut eum sapientia & nutiret & regeret: secutus in hoc Senecam qui 4. de benef. c. 18. dixerat, quæcunque vaga nascuntur & actura vitam segregem armata sunt, hominem imbecillitas cingit; non unguium vis, non dentium terribilem ceteris facit. Et ille eloquentiæ parens togæque Romanæ Gloria M. T. CICERO lib. 1. de legib. si patefiat cujus muneris colendi efficiendique causa nati & in lucem editi sumus; qua sit conjunctio hominum, qua naturalis societas inter ipsos: his explicatis fontem legum & juris inveniri: & 2. officior. societate sublata omnis è vita sublata est jucunditas; aufert enim fructus voluptatum omnium solitudo, nec sine societate ulli potest esse jucunditas; omnis ratio*

*Et institutio vita adjumenta desiderat & nihil est homini utilius homine altero. Ex recentioribus HUGO GROTIUS, uti omnium in hoc scientiarum genere Princeps, sic unus quoque omnium mihi instar erit §. 22. prol. de J. B. & P. ubi probare volens, nullam civitatem, nedum hominem sine socialitate subsistere posse, ait: nulla est tam valida civitas que non aliquando aliorum ope extra se indigere possit vel ad commercia vel etiam ad arcendas militiarum externarum gentium junctas in se vires, unde etiam a potentissimis populis & regibus fœdera appeti videmus. Sed ex ungue leonem, ad omnia enim auctorum socialitatem firmantium loca colligenda, nec vestra Lectores B. patientia, nec mea diligentia sufficeret. Verum tamen antequam hinc ad alia progrediar, tollenda est difficultas, quam procul dubio moturus eslet cui hæc nostra minus arrideret socialitas; sæpissime sc. in infantibus observari illos magis ad discordiam, quam ad societatem pronos esse: inde colligens societatem institutioni naturæ esse contrariam. At consequentia non magis justa, quam si quis ex eo, quod homo expers linguarum & infans nascitur, vellet inferre, ergo, procedente tempore, loqui & hominem adultum fieri esse contra naturam; licet enim concederemus, quod majori cum ratione una cum PLUT: & GROTIUS negare possemus, infantes magis discordiam quam societatem diligere, inde tamen non sequeretur, socialitatem repugnare naturæ rationali, cum infantes hoc ideo faciant, quia rectæ rationis usu adhuc destituti ad diversos harum duarum qualitatum effectus cognoscendos sunt inidonei; homo vero factus si discordiam præ socialitate diligit, dicimus eum insanum esse ex ante probatis & contra naturam agere, at vero à disparatis & non recte se habentibus ad universos male fit illatio.*

Caput Quartum.

*Hobbefiani dogmatis refutatio.*

**H**is positis, non ardui laboris *Hobbefiani* dogmatis erit refutatio, quam huc usque distuli, tum quia nostri systematis fundamentum ad istius everfionem requiritur, tum etiam quia fortiffimum pro nostro argumentum est. quod si loco ejus, *Hobbefianum* illud: *Jus omnium & singulorum in omnia & singula, omniumque in omnes bellum* admittamus, nullum inter homines jus aut fœdus nisi inane fit futurum; ait enim cap. 1. de cive §. 10. *in statu mere naturali sive antequam homines ullis pactis se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quacunque & in quocunque libebat, possidere & frui omnibus qua volebat, in notis addens, quod quis fecerit in statu mere naturali id injuriam homini quidem nemini esse, nam injustitiam erga homines supponere leges humanas, quales in statu naturali nulla sunt: & cap. 13. de cive §. 7. status civitatum inter se naturalis, id est, hostilis est, neque si pugnare cessent idcirco pax dicenda est, sed respiratio in qua hostis alter alterius motum vultumque observans, securitatem suam non ex pactis, sed viribus & consiliis adversarii æstimat, atque id jure naturali, ex eo quod pacta in statu naturali, quoties justus metus intercedit, sunt invalida: Sed ut brevis sim apponam hic ex *Cumberl. de leg. nat. c. 1. §. 7.* totam *Hobbefii* sententiam uno hoc syllogismo comprehensam: *in statu nature unicuique jus est seu licet omnia habere ac facere in omnes, qua ipse ad sui conservationem necessaria judicabit; at omnia habere & in omnes omnia facere, unusquisque ad sui conservationem necessarium judicabit, ergo unicuique hoc jus est seu licet: quo itaque soluto omnis ejus sententiae vis sponte corruet. ad majorem ergo R. l. licet cuique jus sit omnia facere, quæ ad sui conservationem sunt necessaria, non tamen inde sequi, illa omnia ad ejus conservationem esse necessaria, quæ ipse talia judicabit, quia inde fluere eandem rem hominum conservationem & promovere & destruere, prout ille eam necessariam, hic vero**

C

con-

contrariam suæ conſervationi judicaret, quod absurdum; ex re-  
rum enim viribus naturalibus earum neceſſitas & utilitas ad vitæ  
humanæ conſervationem pendet, nec per hominum arbitrium  
poſſeſt mutari; *aconitum* ex. gr. nunquam herba fiet ſalutifera,  
licet aliquis in ſtatu naturæ poſitus eam talem judicaverit. Nec  
minus determinata eſt efficacia eorum, quæ univerſo generi hu-  
mano bona ſunt aut mala, ſive illa ſint actiones voluntariæ  
hominum, de quibus leges naturales ſeu morales Philoſophia  
pronunciant, ſive ſint vires naturales eſculentorum & potulen-  
torum, de quibus nos medicina inſtruit; ſed ſecundum eaſdem  
inviolabiles a divino numine ipſis impoſitas moris leges agunt  
& univerſales quæ multis, & particulares cauſæ quæ ſingulis aut  
profunt aut obſunt; dicendum igitur in ſtatu naturæ unicuique  
tantum ad ea jus eſſe, quæ ex *dictamino recta rationis de quo vid.*  
*ſub ſin. cap. 2. ad ſui conſervationem neceſſaria judicat*, idque  
ex ipſa quam *Hobbeſus d. c. 1. §. 7.* habet juris definitione,  
*jus ſc. eſſe libertatem facultatibus rationalibus utendi ſecundum rectam*  
*rationem*: probatur.

*Minorem* nego ipſo *Hobb.* ſuadente *cap. 1. §. 4.* non judicare  
unumquemque omnia habere & in omnes omnia facere ad ſui  
conſervationem eſſe neceſſaria; *alius enim* ut ipſe ait, *ſecundum*  
*aquitatem naturalem permittit ceteris eadem omnia qua ſibi; quod mo-*  
*doſti eſt hominis & vires ſuas recte aſſimantis*; ſi jam ſecundum re-  
ctam rationem ſtatuat, qui aliis ſibi paria permittit, nullum jus  
ſibi acquirere poſſeſt ex irrationali ſuo & ferocis ingenii judicio,  
quiſquis ſibi omnia velut ad ſui conſervationem neceſſaria arro-  
gaverit, adeoque ex ipſo *Hobb.* jus omnium & ſingulorum in  
omnia & ſingula *nullum eſt.* neque eo poſito concipi poſſeſt, quo  
modo homo conſervaretur, uti magno ſuo malo ille, qui tam in-  
ſanus eſt ut ejus periculum facere audeat, experietur. Attamen  
ex primæva quam quidam ſupponunt rerum communione, ab-  
ſurdiſſimo huic omnium in omnia juri quæritur præſidium, ſed  
incaſſum; cum illa omnium conſenſu hætenus duntaxat vim  
propriæ habuerit, ut quod quiſque ſibi arripuerat, id ei eri-  
pere alter niſi per injuriam non poſſet. At vero ex hoc jure ſe-  
quitur, alienum invadere eſſe impoſſibile, & omnia ſibi licere  
vindicare, proque juris illius deſenſione, bellum in omnes ſuſci-  
pere.

pere, ac quosvis licet aliàs innocentissimos occidere; quod in statu mere naturali injurium nemini esse, in *annor. ad §. 10. cap. 1.* in initio hujus capituli à nobis allata, inde probat quia *injuria erga homines supponit leges humanas quales eo in statu nulla sunt.* Sed oblitus videtur vir subtilissimus se *c. 2. §. 1.* agnoscere; quod in ratiocinatione falsa sive in stultitia hominum, officia sua erga ceteros homines ad conservationem propriam necessaria non videntium, omnis consistat legum naturalium violatio & *cap. 3. §. 27.* leges naturæ in statu naturæ obligare in foro interno sive in conscientia: quæ tamen è diametro cum *d. §. 10.* nullas in statu naturæ leges dari statuente, pugnant: deinde & illud quoque falsissimum quod injuria erga homines supponat leges humanas; cum ex folis rectæ rationis dictatis, quæ leges naturales Dei sunt, jus hominì nascatur ad ea quæ illa ipsi ad suam conservationem necessaria esse docent; & ipse *c. 2. §. 1.* fateatur, *injuria fieri quicquid fit contra rectam rationem.* Dicendum ergo redolere hanc sententiam Atheismum, à quo ægre se *Hobbesius* defendet, quicquid remittatur *Leviath. c. 12. p. 53.* uti id clarissime evicit *Cumberl. c. 1. §. 11.* & *Puff. l. 2. c. 2. §. 3.* una cum *Hertio* demonstrans hoc ejus dogma convenire cum sententia auctoris tractatus Theologico politici, quem *Spinosam* vocat *Marezius.*

Ex hoc jam omnium in omnia jure, alterum, quod initio hujus capituli refutandum promissimus, dogma, *bellum sc. omnium in omnes:* in libro de Cive deducit, quamvis in *Leviathane cap. 13.* è contrario, prius statum belli ponat, unde deinceps colligit quodlibet eo in statu licere: ex quibus observare licet, quod jam pluribus ostendi, quam parum nempe in eo, quod morum & politicæ statuit fundamentum, sibi *Hobbesius* constet; si ergo nihil ejus præter *librum de Cive* haberemus sufficeret jus in omnia refutasse, ad id ut belli universalis inde sequentis vanitas appareret; jam autem alio modo ejus falsitas est probanda, quod fiet, ubi ostendero ejus principia aut invalida, aut non magis bellum quam fœderalitatem esse firmantia, id vero est facillimum cum in *Leviathane* ex tribus præcipue causis, *competitione sc. defensione & gloria,* bellum hoc originem ducere statuat, sed male admodum: his enim affectibus homo non necessario impellitur, verum eos æque ac alios ratione vincere potest, & per



consequens falsum est, bellum illud, *quia invincibili impetu homo ad id rapitur*, esse licitum: solæ etenim illæ passiones humanæ, quæ ex necessario rerum externarum in homine oriuntur impulsu, nulla lege naturali possunt prohiberi, utpote tantum actiones quæ in hominis sunt potestate regentes; at non illæ, quæ futura & sæpe è longinquo spectantes ratione regi possunt, secundum ipsum *Hob. de Civ. c. 3. §. 31.* præterea in eodem *Leviath. c. 13. in fin.* agnoscit hominibus inesse passiones quibus ad pacem producuntur; ut 1. *metu* præsertim violentæ mortis; 2. *cupiditate* rerum ad benevivendum necessariarum, 3. *spe* illas per industriam obtinendi. sunt autem hæ passiones, si penitus considerentur, eadem cum iis, quas paulo ante in bellum illos impellere dixerat; *metus enim hic*, idem est cum metu, quo nos defendere cogimur, ne alii in nos pro lubitu dominantur; per quem idcirco nos vult impelli, ut securitatem, alios anticipando, quæramus. similiaque dici possunt de *cupiditate gloriæ*, quæ inter res ad hanc vitam necessarias numeratur à *Puff. l. 2. c. 3. §. 16.* nec non de *spe lucri*; atque adeo eadem causæ secundum *Hobb. bellum & pacem* efficiunt; unde liquet, si quid in his affectibus esset necessarium, ut sciri posset an potentius humanam naturam ad bellum, an ad pacem agerent; illud diligenter utrimque esse expedendum, quod *Hobb.* nunquam, at nos summa qua potuimus diligentia fecimus, indeque *cap. 3. ad socialitatem & pacem* potius, quam ad bellum homines impelli evicimus. Sed unica adhuc restat discutienda difficultas; perfectam nempe securitatem, de omnimoda felicitate nobis procuranda, obtineri non posse, etiam si pacem exercendo socialitatem prosequamur; idque propter effrenatos quorundam affectus, qui præ stultitia eundem sibi finem non proponunt; verum statim illa evanesceat, si consideremus perfectam & ab omni calamitate liberam securitatem nunquam nos posse assequi; *Grot. l. 2. c. 23. §. 1. & c. 4. §. 3.* ubi vide rationem; ideoque necesse esse ut contenti simus id facere, quod ex omnibus quæ in nostra sunt potestate ad illam assequendam maxime conducit, id vero est ut felicitatem omnium quæramus & in genere ut sociales simus & pacifici.

Detestandi igitur *Hobb.* dogmatis everso fundamento, satisfecisse.

cisse hujus dissertationis scopo mihi videor licet singula ejus capita non examinem; si tamen accuratius, in ea inquirendi alicui sit animus, illum ad *Puffi. l. 2. c. 2. §. 6. 7. 8. 9. & c. 3. §. 16. 17. 18. Cumberl. de leg. nat. c. 1. §. 11. 12. & multis seqq. Hert. diss. de soc. prim. jur. n. pr. qui reliquas fere omnes quæ adversus hoc nostrum principium fieri possent objectiones, tollit, aliosque, qui ex professo id egerunt, remitto.*

## Caput Quintum:

*Unde rectæ rationis dictamina vim juris  
obtineant.*

Quamvis autem ex iis quæ supra diximus, duo quæ rectæ rationis dictaminibus adesse debent requisita ut vim juris obtineant, colligi non difficulter possint; rectius tamen me facturum credidi; si separatim caput, de illorum dictaminum auctore & sanctione conciperem, sicque iis vim legis assererem: tum quia quæstionis id exigere videbatur excellentia, tum etiam me maximus ab iis, qui illud revera non animadverterunt, aut animadvertere noluerunt, in qualicunque hac dissertatiuncula defectus posset notari; argumentum illis suppeditante *Hobbesio cap. 3. de Cive §. ult. his verbis: natura quas vocamus leges, cum nihil aliud sunt quam conclusiones quedam ratione intellecta de agendis & omittendis, lex autem proprie atque accurare loquendo, sit oratio ejus qui aliquid fieri vel non fieri aliis jure imperat: non sunt illæ proprie loquendo leges, quatenus à natura procedunt; quatenus tamen eadem à Deo in SS. lata sunt, legum nomine propriissime appellantur: Dicendum ergo, pro veritate demonstrata posito Deum universi hujus conditorem esse & rectorem; illum omnium rerum, sed præcipue hominis ita constituisse naturam, ut absque socialitate nullo modo posset conservari, ideoque ei animam notionum huic interservientium capacem indidisse; perque rerum naturalium motum, ab ipso tanquam primo motore profectum, dictas notio-*

nes animis hominum ita impressisse, ut illarum connexio & veritas sit evidentissima; unde sequitur *Deum velle* ut homines suas actiones ad dictæ naturæ normam dirigant, id vero cum absque rectæ rationis seu juris naturæ dictaminum observatione facere nequeant, ea necessario illis à Creatore, tanquam medium ad dictum finem requisitum, indita debent censerī: sed huic argumento addamus & alterum ex *Grot. prol. §. 20.* petitum, *justitiam* nempe, seu juris naturæ observationem, *securitatem afferre conscientia, injustitiam contra tormenta ac laniatus*; adeoque in jus N. peccando offendi illum cui in animas hominum est imperium: apparet igitur leges naturales vim obligandi fuisse habituras, etiamsi in S. S. nunquam fuissent revelatæ, uti id ipse *Apostolus Paulus* innuit *Epist. ad Rom. c. 2. §. 14. 15. & 16.* homines enim voluntati Creatoris sui quomodocunque patefactæ obedire tenentur, nec ipsis, utpote rationalibus, illam ex naturæ suæ constitutione satis liquido deducere valentibus opus fuit peculiari revelatione ad id ut suam à creatore dependentiam cognoscerent; nisi quis, ipso tamen contradicente *Paulo*, asserere auderet, illos qui sine S. S. vivunt, in jus N. peccare non posse, quod absurdum, cum non modus publicandi, sed expressa sanctio ad essentiam legis pertineat, & Deus, concessa nobis tam aliorum quam nostrarum actionum qualitatem earumque cum naturæ nostræ convenientiam aut disconvenientiam cognoscendi facultate, satis liquido normam in illis observandam ostenderit: nec obstat quod non omnes legum naturalium cum natura humana connexionem per justam consequentiarum seriem possint demonstrare, cum sufficiat illos, qui ratione sua recte utuntur, sat facile præcipuarum notitiam posse assequi; à subiecto enim quod bene, non quod male se habet, sumi debet argumentum. Hæc de auctore dicta sufficiant. Verum in sanctionem quam recte *Tribonianus §. 10. inst. de rer. div. definit. ea legis pars qua pœna delinquentibus imponitur: ut adhuc accuratius inquiramus, uti bonorum, sic & malorum tria dari genera statuemus. Primum* illorum quæ ex naturæ nostræ constitutione sequuntur. *Secundum* illorum quæ per naturalem consequentiam ex peccato oriuntur. *Tertium* illorum quæ ex speciali legislatoris voluntate peccato fuerunt annexa. De *Primo* autem, quia ex pec-

peccato seu legum naturalium violatione non oritur, & de *tertio*, quia obscure admodum sine revelatione probatur, nil dicam; *secundum* autem, quod proprie ex dictæ legis transgressione fluit, unice nobis est exponendum, adeoque dicendum, Deum ut Creatorem nostrum omnimodam à nobis exigere potuisse obedientiam, etiam sine ulla præmiorum remuneratione, verum tamen ex infinita gratiæ suæ plenitudine ita nostram reumque quæ extra nos sunt constituisse naturam, ut legum naturalium observatio bonum, violatio vero malum aliquod afferat: sic enim, uti jam supra ex *Grotio* disseruimus, diligens legum naturalium observatio conscientiæ tranquillitatem efficit & à corpore multa mala non fatalia arcet; violatio vero laniatum conscientiæ, tormenta animo & corpori interitum parit.

Sed certus sum mihi objectum iri, experientiam docere homines injustos justis sæpe feliciores esse, verum *Rf. Primo* licet non semper omnis, quæ possit, ex justa actione percipiatur utilitas, probabile tamen esse plus lucri inde quam ex injusta proventurum: *Secundo* observandum esse nos hic non de primo bonorum genere, quæ ex naturæ sc. constitutione oriuntur, sed tantum de illis, quæ legum naturalium sequuntur observationem, loqui. de cætero quamvis magna pars bonorum, quæ legum naturalium comitantur observationem, non tam ex nostra potestate, quam ex aliorum benevolentia & probitate dependeat, est tamen ex naturæ illorum cum nostra convenientia evidentissimum, eundem illos sibi nobiscum finem eligere, & per consequens iisdem quoque mediis uti debere, & pares erga nos socialitatis actus exercere.

Ut igitur subtilissimæ tandem *de juris natura principio* materiæ finem imponam, ex omnibus hæctenus dictis concludo: *Jus natura esse, jus quod Deus per dictamen rectæ rationis propter honestum ac decorum ordinem & communem utilitatem & necessitatem hominibus indidit.*

Caput:

## Caput Sextum.

*Jus gentium eo sensu quo à veterum plerisque  
sumitur non dari.*

Juris naturæ eruto principio, *gentium*, uti vulgo nuncupatur, *Juri* & suum assignare non tanti laboris erit, quia hoc cum illo aut idem aut nullum est; verum lubet elegantem & Juris Civilis studioso tractatu dignissimam simul & utilissimam quæstionem præmittere, sc. an eo sensu quo Juris Civilis illud sumunt conditores, possit admitti; hunc vero nobis exhibet §. 2. *inst. de J. N. G. & Civ.* ubi hoc modo imperator: *Jus gentium omni humano generi commune est; nam usu exigente & humanis necessitatibus, gentes humana jura quædam sibi constituerunt: unde necessario videtur inferendum, jus gentium à gentibus eodem modo ut jus civile à majestate civili esse constitutum; verum ei sententiæ salva imperatoris Justiniani plerorumque, ut Duaren. ad Tit. de pact. Hotman. ad Tit. inst. de J. N. G. & Civ. &c. eum sequentium interpretum reverentia, nunquam assentiar; quia gens gente (libera sc.) non est superior, Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 1. §. 1. adeoque una aliam per modum legis nequit obligare, aut, si legem esset transgressa, punire. Alii tamen hanc difficultatem ut evitarent, una cum Zieglero; & cujus cæteroque ingenium totus admiratur orbis, viro egregio H. Grotio de J. B. & P. L. 2. c. 3. §. 5. ad pactum quo omnes gentes, aut saltem moratiores jura quædam inter se constituerunt nequicquam refugiunt; illud enim intervenisse quomodo concipi possit non video; nam *expressum* esse, neminem tam insanum credo ut contra omnis historię fidem asserere audeat; *tacitum* autem non est, quia ubi *expressum* fieri nequit, ibi nec *tacitum* potest locum habere: quapropter si variæ gentes idem circa negotium aliquod jus observent dicendum illud aut ex dictamine juris naturæ aut voluntate privata illarum gentium oriri, & *casu* non *pactis* fieri quod cum aliarum gentium legibus conveniat: unde  
fit*

fit ut quotidie videamus unumquemque populum propria auctoritate, reliquis inconsultis, tales leges abrogare, nec injustitiæ ob id accusari: sed ex falso hoc ulterius sequitur præsupposito, ut etiam circa juris hujus probationem errare debuerit idem Vir illustris de *J. B. & P. c. 1. §. 14, n. 2.* ubi *jus gentium parimodo, quo jus non scriptum civile, vult probari usu continuo & testimonio peritorum*: videlicet, quia uti hoc tacita populi voluntate, usu continuo, & actuum frequentia declarata vim obligandi accepit; sic & illud tacito gentium consensu ex morum similitudine vim legis recepisse, & per consequens æque ac hoc, *jus humanum esse existimat*, sed injuste; ideo enim consuetudo obligat & jus dicitur, quia à summi imperantis, à qua & jus scriptum, voluntate dependet *l. 32. §. 1. D. de legib.* qualem in dicta juris gentium legislatione ostendi non posse paulo superius demonstravimus. Sed plus satis jam aliorum refutata sententia, ostendamus quo sensu jus gentium dari possit, & quomodo tunc debeat probari.

## Caput Septimum.

*Certo sensu jus gentium posse defendi; accuratius tamen agere, qui nullum tale dari existimant.*

**S**i tamen mordicus juri gentium inhærere quis velit, ei fontem unde petere illud debeat monstrabo, nitens auctoritate Philosophi acutissimi & ingenii lectissimi Jcti Viri celeberrimi PHIL. REINH. VITRIARII, in jure naturæ præceptoris unici ad rogos usque omni grati animi & obsequii genere prosequendi, qui in *insti. suis jur. nat. & gent. cap. 1. quest. 39.* jus gentium definit, *jus quod Deus per rectam rationem inter omnes gentes propter communem necessitatem & utilitatem constituit*: adeoque non ex pacto, sed à Deo omnibus gentibus superiore ejus repetit originem, illudque ad communem necessitatem & utilitatem

D

CON-

constitutum asserit; quia in magna hac gentium Civitate non requiruntur tantum jura, quæ ipsam constituunt & conservant; verum & ea quæ faciunt ut beatitudinem in ea & tranquillitatem consequamur majorem & commodiorem: sic ex. gr. apud omnes gentes utile ac necesse est. *Primo* ut matrimonium inter fratres & sorores sit prohibitum.

2. Ut constituantur in unaquaque civitate certi magistratus.
3. Ut dominia distinguantur.
4. Ut sit libertas transeundi per territorium alterius.
5. Commercium exercendi.
6. Legatos mittendi.
7. Fœdera faciendi.
8. Ut certis ritibus & certo modo bellum geratur.

Hinc jam duplicem inter jus nat. & gent. ostendit differentiam. *Primam* quod illud propter *honestatem* & *turpitudinem*, *Grot. lib. 1. c. 1. §. 10.* hoc propter communem *necessitatem* & *utilitatem* sit constitutum. 2. quod illud omnino sit *immutabile*; quia quod moraliter turpe vel honestum est, nunquam potest desinere tale esse; unde & prius tanquam impossibile à summo J&co PAPIANO in *l. 15. D. de cond. inst.* fuit consideratum; hoc vero *mutari possit*; vel potius non obligat; quando cessat ratio communis utilitatis & necessitatis: hinc tempore belli quia nobis non est utile ut hostis per territorium nostrum transeat vel commercia in eo & per illud exerceat, hoc jus gentium nos non obligat. Sed *& à jure civili differre*, quia id non communem gentium, sed privatam populi qui eo utitur utilitatem continet. Verum quicquid dicatur, si ingenue veritatem fatear, dicam me calculum iis potius, qui nullum præter naturale & civile (divinum enim, uti nos Christiani illud sumimus huc non pertinet) jus dari existimant, adjicere; auctorem enim, objectum, & revera quoque finem cum jure naturæ habet communia: *auctorem* ut hujus *dissert. cap. 9.* videri potest, & ipsi juris gentium patroni, ut ex initio hujus capituli patet, concedunt: *Objectum*, nam non tantum *ut gentes*, sed & antequam societates civiles iniverunt *ut singuli*, juris gentium adstricti fuerunt præceptis; quæ si ideo jus gentium vocare lubet, quia illas, etiam postquam in societatem civilem coierunt, obligant; tum jus naturæ quoque eodem nomine erit

erit nuncupandum ; frustra dissentiente J. ZENTGRAVIO, de origine juris gentium artic. 5. §. 19. ubi jus gentium dici vult quatenus gentes universas respicit ; sola enim diversa hominum consideratio non adeo efficax est, ut sine nova legislatione jus novum induxisse queat censeri. *finem* ; cum idem jus naturæ, quod actui alicui ex ejus convenientia aut disconvenientia, cum ipsa natura rationali ac sociali dictat moralem turpitudinem aut honestatem inesse, præcipiat quoque id quod societatem promovet, suadeatque quod eam reddit commodiorem ; i. e. *actui alicui utilitatem aut necessitatem*, pro ut plus minusve ad societatem facit, *inesse dictet* : nam in moralibus, ut & in naturalibus, *punctum* non invenitur sine latitudine Grot. l. 2. c. 1. §. 5. & c. 23. §. 1. si enim, uti ipse vult Grotius proleg. §. 17. *jus gentium* quoties id nomen à jure naturali distinguimus, *respiciat utilitatem non cæcum singulorum, sed magna illius universitatis* ; quis non videt merito & Archimedeo opus esse artificio ut evincatur & discernatur, *gentiumne juri* potius, an *naturali* tribuenda sint, quæ ad eum modum describuntur ? sed ad oculum res apparebit, ubi demonstra-vero præcipuas quæ ad jus gentium referuntur species, quæque paulo superius à nobis fuerunt allatæ, *ex jure natura* aut *ex jure civili* populorum esse depromptas ; *adeoque quod fieri potest per pauciora non opus esse ut fiat per plura.*

Ad Primam ergo dico, Deum ter Opt. Max. per rectam rationem, adeoque per jus nat. matrimonia inter fratres & sorores *Levith. c. 18.* prohibuisse, cum ob frequentia stupra & adulteria, quæ ex harum personarum inobservato metuenda essent confortio, si illarum amores nuptiis possent conglutinari, societatis ordini tranquillo & decoro adversari talia matrimonia viderentur ; sed quid si minus stringens, licet mihi sat gravis, hæc alicui videatur ratio ? necessario oportet ut cum *Puff. lib. 6. c. 1. §. 34.* aliisque ibi citatis, statuatur ex positiva lege interdictum istiusmodi connubiorum descendisse ; ad jus gentium saltem id referre esset absurdum, nam si rationem cur Deus illud per jus N. fecisset nullam inveniat, non video quamnam Deum, ut jure gentium id efficeret, impulsisse dicturus sit.

2. De summi imperii origine *vid. cap. ult.*

3. Dominiorum distinctionem ex jure N. hoc modo deduco ; Deus hominem, ut supra vidimus, infirmum creavit & multarum



rerum indigum, sed simul ipsum sibi ad se conservandum commendavit, adeoque ipsi jus concessit in ea omnia, quæ ad ipsius conservationem vel necessaria erant, vel *revera* utilia; sed cum pax & tranquillitas generis humani, ad quam potissimum jus N. respicit, ultro suaderet multiplicatis hominibus cuilibet in quælibet æquam potestatem non posse conservari, ut ex qua infinitæ oritur collisiones, rixæ & bella denique, si plures eandem rem, quæ omnibus non sufficiebat, singuli ad se trahere vellent; necessarium quoque esse dictavit inter multiplicatum genus humanum res dividere & sic dominiorum distinctionem facere; uti primo in mobilibus, quæ immediate sui usum hominibus vel ad nutriendum vel ad corpus tegendum præbebant, factum fuit; quod enim quisque sic arripuerat, id ei alter nisi per injuriam eripere non poterat: deinde & in immobilibus ejus generis, ut sunt domus & agri, qui si alicui essent assignati aut tacite ei à reliquis cessi, dum illis quiete frui illum solum paterentur, ad eum pertinere videbantur; reliqui primis occupantibus relinquebantur; quod autem ad res, quæ laborem & industriam exigebant, attinet, inconveniens fuisset, si æquale jus ad ea habuisset, qui nihil operæ ad earum productionem contulerat; ideoque producenti cedere debebant.

4. Sed non obstante illa dominiorum distinctione, sciendum, non ideo tamen omne jus quod singulis hominibus in res hujus universi competebat fuisse absorptum, cum ex ipsa nativitate i. e. exinde quod homines sint, adeoque ex ipso jure N. jus aliquod in iis retinuerint, & primo quidem in *casu gravissima necessitatis*; nam jus N. præcipiens ut proximum uti nos ipsos diligamus eumque juvemus, in gravissima necessitate ei quoque jus in res nostras concessit, perinde ac si illæ à nobis occupatæ non essent: *secundo in casu innoxie utilitatis*, vel ut aliter, ad omne quod proximo est utile & mihi innoxium jure N. ei teneor; natura enim necessitudinem & cognationem inter homines constituit mutuis officiis exercendam; hinc, neque alimenta nostra perdere fas est, neque fontem, postquam inde quantum libet potaverimus, obturare aut occultare, neque signa navigationis aut itineris, quæ nobis usui fuerunt abolere, uti ex *Plutarcho* differit *Grot. l. 2. c. 2. §. 11.* solent autem duo illa jura appellari  
jura

*jura humanitatis*; atqui ex horum altero omnium ferme juris N. interpretum consensu, libertas ad justas causas per alterius territorium transeundi & in eo *commercia exercendi* descendit; neque enim, sunt ipsa verba *Grot. l. 2. c. 2. §. 13. n. 5. personis tantum sed & mercibus transiis debetur*; nam quominus gens quæque cum quavis gente seposita commercium colat, impediendi nemini jus est; id enim permitti interest societatis humanae, ne cuiquam damno id sit; nam etiamsi cui *lucrum speratum*, sed non *debitum*, decedat, id *damni vice reputari non debet*: nullo modo ergo est necessarium ut ideo ad jus quoddam gentium recurratur.

5. *Legationum jura*, quorum duo capita cum *Grotio* statuit præceptor meus *Cl. Dom. REINH. VITRIARIUS: inst. juris. N. & G. l. 2. c. 18. quæst. 8. prius sc. ut admittantur; posterius ne violentur*; ex jure naturæ promanare ostendero; ubi duorum illorum capitum originem inde deduxero: quod igitur ad *Primum*; cum ipsa naturalis ratio dicat, si ipse negotia tua curare nequeas, per alios illa esse expedienda, nihil quoque ei fuit convenientius, quam ut summi imperantes, qui ipsi omnia negotia curare non poterant; ea per alios, inter quos & legati, expedirent; illos ergo *admittendos esse* omnino vult jus N. quia nullum aliud tam naturale expediendi negotia est remedium; sed pro diversa negotiorum ob quæ mittuntur natura illam admittendi necessitatem aut præcipit aut suadet; sic, si vel ad pacem faciendam, vel ad eam per fœdera & pacta magis confirmandam mittantur, jus N. illorum admissionem *præcipit*; quia omnino vult ut in pace vivamus, eamque omni ope expetamus; sed si propter talia negotia, quæ utilitatem tantum continent; mittantur; illorum admissionem suadet solummodo jus N. Quod ad alterum caput *ne sc. violentur*; sive ad socios & amicos populos; sive ad hostes mittantur, illud ex fide data adeoque ex jure N. etiam privato fidem datam servandam præcipiente, descendere solidissime probat meritissimus præceptor Vir celeberrimus *J. VOET comment. ad ff. lib. 1. T. 1. n. 18. cum enim pacem bello multisque triumphis potiore esse ipsa naturalis ratio gentibus diceret; nullam illæ aptiorem ad eam reducendam viam invenerunt, quam si, admissis ex hostium numero nonnullis tanquam legatis, de reparanda concordia novisque fœderibus*

pangendis tractarent; sed quia tale munus legationis apud hostes, belli jure quidvis valentes, non facile quisquam suscipere velle credebatur, si non securitatem & tuitionem sibi in adeundo ac recedendo possit sperare, hostium æque ac sociorum legatis inviolabilitatem & incolumitatem, expressè, vel tacite ipsâ admissione promiserunt: verum quod etiam apud illos per quorum territorium transeunt sancti sint & inviolabiles, id non ex fide data, cum nullum pactum intervenerit, sed aliunde est deducendum, ex eo videlicet, quod legati repræsentent suos reges, jam autem reges vivunt in statu naturali æqualitatis *Grot. l. 1. c. 1. §. 1.* nec alterius subjecti temporarii fieri possunt, cum par in parem non habeat imperium; si tamen hostium sit legatus, aut hostilia molitur, per modum naturalis defensionis & jure belli potest coerceri.

6. Ex *dominio* quod definitur *jus de rebus pro arbitrio proprio nomine disponendi & eas a quocunque alio possessore vindicandi*; quodque ex ipso jure N. paulo superius erimus, fuit, nihil tam naturale esse, quam voluntatem domini jus suum in alium contractu, *facere*, donatione &c. transferre volentis ratam haberi; adeoque jus contractuum & foederum de rebus nostris ineundorum non gentium sed naturæ juri permissivo esse adscribendum: idem autem *de jure ad facta*, sub quibus & non facta continentur *Grot. l. 2. c. 4. §. 5. nos obligandi* dicendum esse, fuit ex vi libertatis naturalis i. e. *naturalis facultatis faciendi quod lubet & jure N. non est prohibitum*: hæc de facultate contrahendi. Usus autem universalem contractuum quod attinet, dicendum, illud ex utilitate adeoque jure N. oriri, uti egregie ostendit P. M. præceptor J. VOET *ad ff. d. l. 1. T. 1. n. 18.* initi vero contractus ut servantur, idem jus præcipit, quod fidem jubet esse servandam; *quid enim ex l. 1. D. de pact. tam congruum fidei humane, quam ea que inter EOS placuerunt servare: ut FLORENTIÆ, vel inter homines, ut ab ELBERTO LEONINO lib. 1. emend. c. 16. n. 1. ex antiquissimo MS. editur.* Quæ omnia si ad publica, uti debent, negotia transferantur, dicendum *foedera* i. e. conventiones publicas *Grot. l. 2. c. 15. §. 1. & 2. ex ipso jure N. descendere*, quamvis personæ quibus illorum ineundorum jus competit per singulorum populorum leges fundamentales plerumque sint determinatæ.

7. Bel-

7 Bellorum originem quomodo ad jus gentium referre quidam potuerint, mihi persuadere non possem, nisi vidissem omnium solidioris jurisprudentiæ patrem, virum egregium J. CUJACIUM, illos præcessisse; quid etenim naturalius quam ut membra, corpus, vitam & actiones proprias, *Cl. Vitr. l. 2. c. 17. quaest. 3.* ab injuriis aliorum defendamus? nam ut non minus, vere quam eleganter dixit CICERO *orat. pro Mil. c. 4.*, Non scripta, sed  
 „ nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus; ve-  
 „ rum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad  
 „ quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus;  
 „ ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela latronum  
 „ aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio sit expediendæ  
 „ salutis. Et *Grotius* qui cæteroquin jus gentium admittit *d. §. 1. n. 5.*  
 „ Recta autem ratio ac natura societatis non omnem vim in-  
 „ hibet, sed eam demum quæ societati repugnat, id est, quæ  
 „ jus alienum tollit; nam societas eo tendit, ut suum cuique sal-  
 „ vum sit communi ope ac conspiratione; quod facile intelli-  
 „ gere potest locum habiturum, etiamsi dominium introductum non  
 „ esset, nam vita, membra, libertas sic quoque propria cuique  
 „ essent, ac proinde non sine injuria ab alio impeterentur; sic  
 „ & rebus in medio positis uti & quantum natura desiderat ab-  
 „ sumere jus esset occupantis; quod jus qui ei eriperet, faceret  
 „ injuriam, hoc ipsum autem nunc, postquam ex lege aut usu  
 „ dominium formam suam accepit, multo intelligitur facilius.

Sed objicient forsitan, imo licet concedamus bella *defensiva* ex jure esse N. non ideo tamen sequitur *offensiva* inde originem ducere; sed R. quod utique; esse enim considerandum, nos, cum tale bellum defendimus, præsupponere jus bellum gerentis esse læsum & satisfactionem ab eo petitam, sed à lædente denegatam fuisse; quo casu ex ipso jure N. parti læsæ adversus lædentem jus competit ad id, ut ei à lædente id quod minus suo habet præstetur; quod, cum in statu naturali æqualitatis per judicem superiorem obtinere non possit, sponte sequitur illum *ipsum* jus suum exsequi debere, & alium vi intra officii sui limites redigere.

Nec magis operatur quod dicunt, cædes, vastationes & rapi-  
 nas

nas quæ contra innocentes æque ac contra nocentes belli tempore exercentur, esse contra jus N. adeoque & bellum horum effectuum causam ei adversari; cum in pace hoc quidem verum sit, at non in bello, nam qui habet jus ad finem, ille quoque habet jus ad media, sine quibus obtineri nequit. *Grot. l. 3. c. 1. §. 2. Cl. Virr. l. 3. c. 1. quest. 2.* ergo in bello omnes illi à jure N. permisi sunt actus qui faciunt ad eum finiendum; *vid. D. Virr. l. 3. c. 4. quest. 17.* at vero inter eos quam maxime numerari debent, *occidere, vastare, & rapere*, adhibitis tamen egregiis temperamentis, quæ *Grot. l. 3. c. 11. 12. 13. & seqq.* primus omnium in artis formam redegit, uti notat D: BOECLERUS in *præfatione ad GROTIUM. pag. m. 29.* quod, *ad certos ritus & modum quibus bellum geritur*, nulla illi ratione ad jus gentium possunt referri, cum ne quidem apud omnes *moratiores* gentes eadem forma unquam fuerint observati; ut innumeræ veterum testantur historiæ; nec deliquisse dici gens possit, quæ ab hæctenus recepto bellandi more recesserit, modo juri N. nil fecerit contrarium: quid ergo dicendum? certos bellorum ritus à singulorum populorum moribus peculiaribus pendere, adeoque juri civili acceptos esse ferendos.

Liquido tandem, nisi fallor, & quam fieri potuit brevissime cum ostensum sit præcipuas juris gentium species ex N. vel civili jure esse depromtas, idem de cæteris v. gr. *jure sepultura* aut *servitutis* &c. judicium ferre nemo uti spero dubitabit; singulas enim ut excutiam, in majorem solito jam excreta molem vetat dissertatio.

## Caput Octavum.

### *De principiis juris civilis.*

Jurisprudentiæ genus, cui operam potissimum navavi, quamvis quidem exigeret, ut *Romani juris* exponerem originem; huic tamen dissertationi quod sumsi argumento morem gerere malui ac debui, adeoque nullius populi habito respectu, in genere tantum *juris civilis principia*; quatenus a duobus jam expositis dif-

differunt, ex ipsis fontibus haurire, illos vero nobis monstrabit constans ejus & ab omnibus ferme recepta interpretibus definitio quæ occurrit in celeberrimi Viri R. VITRIARII *universo jure civili* t. 2. n. 11. *Jus sc. civile esse quod summi imperantes in propriam suam civitatis utilitatem & necessitatem constituerunt: vel ut IMPERATOR §. 1. Inst. de j. n. g. & civ. quod quisque populus sibi constituit; modo per populum ibi intelligamus omnem eum qui summum in civitate habet imperium* *Grot. l. 3. c. 3. §. 1. n. 2.* propter propriam autem illam utilitatem & necessitatem non in totum servit juri naturæ, nec in totum ab eo recedit, sed interdum quædam detrahit, ut ait *l. 6. de just. & jure*, non quod præcipiat ea quæ jus naturæ vetat, hoc enim nullus civilis potest legislator, quia DEO à quo est jus naturæ, magis est obediendum quam hominibus; verum quod ex obligatione, quæ jure N: efficax est propter civitatis utilitatem, ne lites sc: multiplicentur, nullam aliquando in foro civili det actionem ut ex pacto nudo *l. 7. p. & §. 4. D. de pact. l. 10. C. eod.* & PAUL. *recept. sentent. lib. 2. c. 14. addit v: gr: quando actus qui ex jure N: descendunt & ab eo determinati non sunt, propter civitatis utilitatem & necessitatem determinat, uti id fit in legitima liberis debita in nov. 18. c. 1. vel quando negotiis quæ ex jure N: descendunt & ab eo certam formam non receperunt, certam formam præscribit, ut testamentis &c.*

Constat igitur, ex summorum imperantium voluntate omne jus civile originem traxisse, quapropter nobis, quibus ejus exponendæ incumbit necessitas, quæ summi imperii causa sit efficiens erit inquirendum; cujus arduæ sane controversiæ status invidiose plerumque proponitur & à variis viris etiam doctissimis, temporibus magis & locis quam rectæ rationi convenienter tractatur; nos ergo omnibus positis præjudiciis nullisque partium studiis addicti, sola ratione duce, eam capite sequenti sumus examinaturi.

## Caput Nonum.

*De causa civitatis & summi imperii.*

Ut in intricata hac materiâ ordine procedamus, plurimasque objectiones evitemus, cum FREDERICO HORNIO *archit. lib. 2. c. 1.* qui uti omnium politicorum theoreticorum est accuratissimus, ita quoque cæteris hac in quæstione palmam præripuit, inter causam civitatis & majestatis seu summi imperii distinguemus: illam ex CL. NOODT dissert. *de jure summi imperii* stylo, ut solet, elegantissimo fusius expositam hoc modo contraxi: postquam plurimis experimentis homines multiplicati cognoverant, eam vitæ conditionem quam à natura acceperant, & in qua omnes, paterna & maritali potestate excepta, æquales, propriisque ad arcendam injuriam viribus instructi, suo singuli ferrentur ingenio, nihil solidæ pacis, nihil securæ quietis, nihil veræ libertatis habere, quin plenum turbæ, metus atque injuriæ esse, & ideo tristem fragilem ac calamitosam videri; accedebat ut quisque juris, suæque injuriæ judex vindexque esset, unde cum alium error, alium ira, alium avaritia, alium alius affectus abriperet, ne verum cerneret, neve in eo modum teneret, ex immodestia lites, rixæ, cædes vastationesque subsequutæ sunt; in tanto autem tumultu, quis suis viribus suæque prudentiæ sic potuit confidere, ut se ab *insanorum* insidiis omni tempore peræque securum crederet? igitur si quos periculorum ac miseriarum cœpit pigere, hi cogitantes quid utilitatis possent junctæ vires, quid juris societas habere, quod conveniebat naturæ legi, sui studiosæ, à vita illa tantis malis obnoxia, ad tranquillam & tutam societatem transferunt, sicque effecerunt ut qui ante singuli diversique erant in *civile corpus* convenirent, utque illi qui unam CIVITATEM constitutum irent, *pacto* sese obstringerent, quo in unum & perpetuum cœtum coire suæque salutis ac securitatis rationes communi consilio ductuque administrare vellent; atque hoc est *primum ex duobus pactis & uno decreto* quæ in *civitatum* structura probabiliter intervenisse demonstrat PUFF. *l. 7. c. 2. §.*

7. postquam autem ejusmodi cœtus, rudimenta & primordia civitatis præ se ferens, memorato pacto coaluerat, necessum ulterius fuisse dicit, ut *decretum* fieret, qualis forma regiminis videretur introducenda; de hac enim antequam constitutum esset, nihil constanter potuisse expediri, quod ad communem salutem faciat: visum ergo fuisse è re omnium esse, publice constitui virum, an unum an plures non refert, spectatæ & fidei & prudentiæ, qui tuendæ intentus societati, partium desideria, sine ira, sine affectu, ex omnium usu & audiret & componeret, ac commune naturæ jus æqualitatis conservatione exsequeretur: id vero ut facere posset adversus stultos atque improbos, qui civilis vitæ fructum atque utilitatem vel per socordiam non intelligerent, vel per ferociam adspernarentur, placuit, singulos quos à natura acceperant vires opesque ei & in eum transferre: tandem post decretum circa formam regiminis *altero pacto* opus fuisse, quo *constituti* ad curam communis securitatis & salutis, *constituentes* vero ad obsequium iis præstandum se obstringerent: & ex hoc pacto perfectam civitatem, &, quod nos negamus, etiam summum imperium ait resultare.

Exposita igitur civitatis causa ad *majestatis causam* erit procedendum, adeoque decidenda magnis animis ab eruditissimis utrimque viris agitata controversia; an majestas summis imperantibus per pacta à primis patribus familias an *immediate à Deo* fuerit collata; & mihi quidem, ponderatis attentione qua potui maxima utriusque partis argumentis, posterior rectæ rationi magis consentanea videtur sententia; quod liquido uti spero demonstrabitur, si primo solidissimis argumentis adstruatur & deinceps ab omnibus, quæ ab adversariis ipsi inferuntur, vindicetur objectionibus: verum antequam illud aggrediar, crassum *Frederici Harnii*, quem cæteroquin hac in quæstione imitabimur, errorem paucis discutiam; *Centes* enim *Archiep.* lib. 3. *dari* civitatis genus quod confusionem promissæ multitudinis declinet & ordinem aliquam concinnam assuatur, pactis atque conventionibus prospecta communi omnium salutis, *circa* subjectionem & dispendium ejus libertatis quam *Monarchia* extinguat; adeoque *Democratibus* & *Aristocratibus* contra *Grot.* l. 1. c. 1. §. 1. par regibus & monarchis imperium competere denegat; quod si verum esset, nunquam hanc exponere in animum induxissim controversiam, ne, ut



indignus beatæ hujus Reipublicæ civis, ejus optimatibus & ordinibus summum denegare imperium velle viderer; jam vero illam tanto lubentius suscipio, quia imperii *illorum* summitatis & sanctitatis asserendæ præbet occasionem. Ut igitur unico res tota conficiatur argumento, dicendum, rerum moralium naturam ex operationibus cognosci & per consequens facultates quæ eisdem habent effectus, eodem nomine esse nuncupandas; at vero optimates & populi liberi æque omnia habent majestatica *Gr. l. 1. c. 3. §. 6. n. 2.* ac rex qui est optimo jure, ergo illorum imperium quoque est *summum*: præterea, quod & insequentibus usu veniet, distinguendum inter summum imperium, & modum illud habendi *Gr. l. 1. c. 3. §. 11.* illud enim per totum terrarum orbem est uniusmodi, hic variat pro diverso regiminis statu, plura hac de quæst. vid. apud *Puff. l. 7. c. 5. §. 5.* post præjudicalem hanc examinatam quæstionem ad principalem causam transeundum & summis imperantibus MAJESTATEM aut imperium non ab hominibus per pacta sed immediate à Deo conferri, probandum; ad quod, omissis brevitatatis causa probabilibus quæ *Hornius* habet argumentis, licet alias non spernendis, uno tantum sed apodictico utar argumento.

Quicquid scilicet aliquis nec in totum, nec pro parte nec formaliter nec virtualiter habet, illud alteri non potest conferre; atqui primi patresfamil. summum imperium non habuerunt in totum, nec pro parte, nec formaliter, nec virtualiter ergo illud regibus per pacta conferre non potuerunt:

*Non habuerunt illud in totum*; cum enim primo illi convenirent, nondum erat civitas, extra quam, ipsis fatentibus adversariis, nullum datur summum imperium, utpote ejus animam eam pro subjecto habens; sed nec post constitutam civitatem id habuerunt à se, quia nemo sibi ipsi potest imperare, nec à tertio quia is non poterat illis conferre quod ipse non habebat:

*Non pro parte*: generales enim summi imperii partes sunt; præcipere vetare & punire; at vero nullus hominum sibi ipsi potest præcipere, cum omne præceptum supponat superiorem, & nemo se ipso fit superior nisi interdum conjunctus cum aliis, ut in aristocratiis democratiis & rebuspublicis mixtis, consideretur; tunc enim quatenus imperantes sunt & post

per

factum secundum à Deo imperium acceperunt, omnes simul in singulos habent summum imperium; quod recte contra *Hornium* urfit *Puffendorffius*; atque inde etiam sequitur, neminem se ipsum cogere posse, cogens enim & coactus præsupponunt personas omnino diversas, nec vetare ne ipse quid faciat, quia animus humanus semper consilii mutandi habet facultatem *Grot. l. 2. c. 2. §. 2.* multo minus ergo aliquis semet ipsum potest punire, invito enim pœna imponitur, & nemo jus habet ad vitam perdendam verum tantum ad eam conservandam *Grot. l. 2. c. 17. §. 2.*

*Non formaliter*: quia tum quisque paterfamilias esset summus imperans quod absurdum.

*Non virtualiter*: aut enim corporis aut animæ virtus esse deberet; jam corporis non esse ultro claret, cum causa physica non possit producere effectum moralem; debet ergo esse anima & per consequens ab intellectu aut voluntate, animæ humanæ facultatibus essentialibus; pendere; sed superius probatum fuit, intellectum & voluntatem non posse efficere, ut aliquis se ipso sit superior, seu sibi ipsi præcipiat, se cogat aut puniat: dicendum ergo, uti tandem concludamus, nullum hominem habere summum imperium nec in totum, nec pro parte, nec formaliter, nec virtualiter, ac per consequens illud in alium conferre non posse: vid. *Horn. l. 2. c. 1. §. 9.* & tanti ponderis ipsi *Puffendorffio l. 8. c. 3. §. 1.* visum fuit hoc argumentum, ut revera nihil habeat quod ei reponat: nam quod dicit, quemadmodum in naturalibus ex commixtione & temperatione plurium simplicium provenire possit compositum quid, cui tales adsint qualitates, quæ in nullo simplicium, mixtionem ingredientium,prehenduntur, ita & in moralibus posse accidere nullomodo procedit; quia tales qualitates nunquam habuisset compositum; si singula simplicia suam partem ad eas non contulissent; quod idem quoque dicendum de harmoniæ similitudine, quam *d. c. 3. §. 4.* assert, ut nostrum, quod apodicticum diximus, argumentum evertat; nunquam enim talis producta fuisset harmonia, nisi singulæ voces quæ ad eam concurrunt ejus partem habuissent; nec sufficit, ut ulterius jam **PUFFENDORFII** & aliorum argumenta refellam, ad summum imperium conferendum,

dum, singulos se obligare, quod non solum sese non defendere velint, sed & si opus sit, vires suas accommodare contra eum quem rector civitatis supplicio censet afficiendum; hoc enim tantum probat quomodo *vis* in imperantem conferatur, quæ tamen nullum ei *ius* aut *facultatem* tribuit, quæ omnino requiruntur: sed & sine ulla ratione rejicit HORNIUS distinctionem inter causam *civitatis* & *summi imperii*; cum evidentissimum sit causam civitatis esse *pacta*, ex pacto enim oritur consociatio; at illam summi imperii causam esse nequivisse ex jam dictis sequitur; dicendum igitur, populum, dum imperantes eligit, in ipsos nullam *Majestatem* conferre, sed tantum eligere personas; eodem modo ut in municipiis electio magistratum est penes ordinem & tamen illi potestatem suam non ab isto ordine, sed à summo imperante obtinent; at vero electio tantum est modus perveniendi ad imperium GROTI. l. 1. c. 3. §. 10. n. 5.

Sed objiciet aliquis, *Primo*, ergo mediante electione acquiritur summum imperium & per consequens non est immediate à DEO; verum in ejus gratiam ex ipso HORNIUS explicabimus, quid intelligamus quando dicimus *summum imperium esse immediate à DEO*, sc. populum electionis causam esse, & sic instrumentaliter in constitutione concurrere producendo modum acquisitionis GROTI. l. 1. c. 3. §. 11. non tamen principaliter tanquam causam efficientem: constituatur igitur mediante electione princeps & accipiat ejus interventu imperium; non magis tamen electio causa erit imperii, quam si cum mendicus mediante manu nummum ab aliquo accipit, extensio manus elemosinæ causa est.

*Secundo*, tantum abest ut per hanc nostram sententiam omnes conventiones, legesque fundamentales, quæ inter reges ac subjectos circa imperii administrationem ineuntur, convellantur; quin potius multo fortius quam contraria sententia illa *pacta* defendat ac confirmet, cum subjectos metu divini numinis ad obedientiam, imperantes vero ad subjectorum protectionem legumque fundamentalium observationem obliget.

*Tertio*, illos qui electione à populo facta, *majestatem* à DEO immediate imperantibus tribui dicunt, *majestatem* per modum qualitatis physicæ concipere, indigna RUFFENDORFFIO est

est cavillatio & suis ipsis, quæ lib. 1. c. 1. §. 4, 5. & 6. posuit, principiis adversa; cum nemini unquam in mentem venerit, *summum imperium* aliter quam per modum qualitatis moralis concipere; HORNIUM saltem, quem tamen præcipue oppugnat, id fecisse patet ex *archit. l. 2. c. 1. §. 9. n. 4.* & inde quoque ridiculis plane PUFFEND. quæstiunculis respondetur; veluti; *an majestas antequam in rege aliquo &c. sedem inveniat substantia sit an accidens?* Rf. esse accidens, de quo ineptum est quærere an sine subjecto possit subsistere nec ne. *Quo tempore creata sit an initio mundi an postea?* Rf. non ab initio mundi fuisse creatam, sed statim post secundum pactum, seu civitates constitutas à Deo imperantibus tribui. *An una per universum orbem sit majestas?* Rf. tot esse majestates quot sunt civitates, quatenus majestas est facultas gubernandi civitatem ubique; formas autem civitatum variare propter subjectum majestatis proprium quod determinari solet à cujuscunque populi legibus fundamentalibus, GROTI. *l. 1. c. 3. §. 7. n. 1. in fin. & n. 2.* *An defuncto rege majestas simul pereat?* Rf. absurdum esse illud quærere, cum inter omnes constet esse qualitatem moralem, quæ sine suo subjecto nequit subsistere, adeoque deficiente summo imperante, *imperium* accurate loquendo redire ad Deum qui illud statim iterum populo confert GR. *l. 1. c. 3. §. 7. n. 2. in fin. & l. 2. c. 7. §. 15.* sed jus electionis & modi administrandi ad populum; quod absurdum non esse ipse me docuit PUFF. *l. 1. c. 1. §. 3.* asserens DEUM primum entium moralium auctorem.

*Quarto*, ex eo quod majestatem imperantibus à DEO tribuimus inferre velle, nos statuere nullum jus DEO in genus mortalium superesse, mera falsitas est & calumnia, cum Reges in ipsos imperium esse DEI una cum REGUM SAPIENTISSIMO *Proverb. c. 21.* & GROTIUS *l. 2. c. 4. §. 8. n. 2.* profiteamur.

*Quinto* nihil dici potest absurdius, quam de causa immediata majestatis seu summi imperii abstractivè sumti, quærere ineptum esse, cum illud nunquam nisi concretivè existat; eo enim posito in nullorum entium moralium causam esset inquirendum, quoniam non nisi concretivè existunt; imo plus dicam; non potest ullius entis moralis causa indagari, nisi abstractivè sumatur

tur

tur, cum causa entis moralis semper fere sit diversa à causa objecti cui inhæret, ut patet ex PUFF. *l. 1. c. 1. §. 3.*

*Sexto*, non semper verum est jura & alias qualitates morales mutua voluntatum conspiratione per pacta resultare, sed tum demum, si is qui pactum init, juris, quod confert, concedendi habeat facultatem, quam ad imperium tribuendum homines non habere mox evicimus: in reliquis autem quæ contra HORNIIUM infert PUFF. confundit causam civitatis & summi imperii, quas nos initio hujus capituli distinximus.

Evicimus jam, nisi fallor ipsa ratione duce, summi imperii DEUM, non homines, causam esse *efficientem*, quid tamen si testimoniis inter Christianos, quamvis non inter alios, omni exceptione majoribus id confirmare velimus? nihil erit facilius, sic enim secundum *Apostolum Paulum ad Rom. c. 13. §. 1.* non est potestas nisi à DEO, qua vero sunt potestates à DEO sunt; & ex Theocratia, in qua ipse JEHOVA leges suas dedit *Israëli* & instituta *Jacobo*, luce meridiana clarius apparet, imperium non ab hominibus, sed à DEO tribui; quamvis enim apud alias gentes signo tam visibili id non fuerit declaratum, illud nihil ad rem facit, cum ad modum perveniendi ad imperium tantum pertineat; reges enim *Israëlis* non plus minusve juris quam cæterarum gentium reges habuisse abunde testatur *Sam. cap. 8.* cum jura domini eminentis, quæ à quibusvis in qualicumque regiminis forma summis imperantibus, tempore necessitatis justissime exercentur, enumerat; plura S. S. loca hanc nostram sententiam firmiter mantia vide apud HORN. *l. 2. c. 1. §. 8.*

Sed quamvis jus summi imperii Principibus non ab hominibus, sed ab ipso Deo conferri asseruimus, non ideo tamen existimandum, uti ad invidiam huic sententiæ conciliandam, passim fere ab omnibus, viris cæteroquin egregiis, fit, nos sub principis personam *Tyranni* causam agere, & si ejus populique inter se pugnet utilitas alterumque minui aut perdi sit necesse, cives principis scelere atque immanitate justius utiliusque atteri, quam principem à suis civibus, ne eas perdat, in ordinem redigi, velle statuere; quin potius quosvis summos imperantes hostiliter in totius populi exitium, leges fundamentales evertendo, religionisque libertatem prohibendo, animatos, ipso jure tales esse

esse definere; *rationem vid. apud Cl. VITR. l. 1. c. 4. quæst. 10. & 14. inque ministros iniqua eorum mandata, executioni dantes, & si reipublicæ aliter consuli nequeat, in ipsos etiam tales imperantes Tyrannos utpote & perduelles effectos, jure ipso naturæ quemvis hostem existere, multoque magis illustrium majorum nostrorum exemplo, iniquum illorum imperium excutere posse una cum GROTI. l. 1. c. 4. §. 7. l. 2. c. 25. §. 8. n. 3. Cl. VITR. l. 1. c. 4. quæst. 8. 9. 10. 14. HORN. arch. l. 2. c. 12. §. 11. in medio. Celeberr. viro G. NOODT in nunquam satis laudata, de religione jure gentium ab imperio libera, dissertatione, profiteamur.*

Exposita tandem ergo, non pro materiæ dignitate sed exiguo ingenii modulo, subtilissima de *jure summi imperii* controversia, sicque *juris civilis* inde manantis *inventæ origine*, satisfacisse hujus dissertatiunculæ inscriptioni mihi videor; non bruto tamen affectus impetu, partiumve studiis abreptus, aut jurans in verba magistri, mordicus semper omnibus & postremis præcipue hujus dissertationis partibus inhærebo, sed simulac rationum momentis & argumentorum pondere victum me sensero, errorem candide confessus, meliorem sententiam lubens agnoscam.

F I N I S.

E

HO,

H O N O R I  
FLORENTISSIMI ET POLITISSIMI  
CORNELII BAKKERI,

*Post variam eruditionem summos in utroque  
jure honores capeffentis.*

Incola Lugduni, quem plenos quinque per annos  
Vicinum è regione suum vidisse triumphat  
Lætaturque oculis animoque favente Minerva.  
Quid mirum, si perpetuo sic dedita nexu,  
Assiduoque usu laudati culta laboris  
Discessum iusto tituli splendore coronet?  
Hac etenim adspirante Deâ, num fortia mentis  
Decreta aut etiam suscepta morabitur ullus?  
Aut quæ tandem illis obsistere fascino possent?

Namque habilis mire concinnaque corporis æqui  
Contigerat tibi norma, probi quam gratia moris  
Exornans te conspicuum summeque placentem  
Omnibus in tanta naturæ dote parabat,  
Cuncta volens nolens ut prospera quisque voveret.

Sed Pallas divina sagacius abdita rimans  
Non corpus, non illa diem spectare. Tenebras  
Nocturnas librisque datas, & tempora somno  
Noverat exempta, ut sapientia plurima pectus  
Perfundens, Themidi aptaret venerabile templum.

O magnæ laudis plenum dignumque notatu  
Propositum: mutare domum, migrare paterno  
Natalique solo, exigui præferre brevisque  
Museum spatii, ut secessu hoc undique septus

-OH

T

Et

Et procul ab famulis curis, popularibus apte  
Præcipuis mixtus, sua des recte otia Musis,  
Inque illis pariter Batavos prolemque futuram  
Nascentis populi eximiam, vitæque coævam  
Inspicias noscæque tuæ, ingeniisque cohærens  
Exaeuas simul ipse tuum, celebrataque juris  
Romani fragmenta legas, & acumina docte  
Æmulus agnoscens, decus hinc palmamque reportes.

Hæc quondam tibi fila trahens faustissima Clotho  
Nevit, & ut penitus contingeret illa repleti,  
Adjuvit toto mens robore dia Minervæ.

Hæc te cœlesti & sacro medicamine tactum  
Adflatuque suo fovit, frontemque benignam  
Admovit votisque tuis votisque Parentum;  
Ut bona sedulitas fato proluderet alto,  
Nominis ac fieres dignus tam nobilis hæres,  
Fortunæ dominusque capax & scitus avitæ.

Hic saltus, **BAKKERE**, fuit, stimulare juvenam  
Qui potuit, vicine mihi optatissime, primam.  
Nunc felix sed meta venit, quam stringe perite,  
Ut curru volitans ad debita præmia salvo  
Invictus superes. Nunc te quodcumque tueri,  
Quod statuis bene, posse doce, mentisque vigori  
Succumbat, quicumque gradu turbare laboret.

Hinc tibi sit series, fluat hinc occasio fortis,  
Ter, quater & quoties non est seu corde vovere  
Sive etiam sermone meo proferre, beatæ!

**JACOBUS GRONOVIVS.**



M E R I T I S  
NOBILISSIMI ET POLITISSIMI  
CORNELII BACKERI,

Lauream doctoralem ex utroque jure:  
afsecuti:

*A* mstela, BACKERIAE vindex pulcerrime fama,  
qua tecum agnata fulget in urbe domus:  
Quique, tuis quamvis orbem prope cernis in undis,  
Non minus Amstelios suspicis YA pater:  
Audite hunc plausum, quo vestram Rhenus alumnum  
Ad patrios ducit prosequiturque lares.  
Murmuraque, insolitos volventia gurgite fluxus,  
Letitia sensum vos habuisse probent.  
Exit ovans sacra Themidis BACKERUS ab aede  
Baocifero pulcras cinctus honore comas.  
Sed quid habent tituli, quos jam contemnere Musæ  
Laudis ut antiquæ nomina vana solent?  
Non ita tu: quamvis promiscua præmia laudis  
Sordent, & meriti nil nisi nomen habent:  
Non tua flaccescet, quam nunc BACKERE parasti,  
Fama, sed est meritis conspicienda suis.  
Inter & æquales æterna fronde virescet,  
Ut nunc venturi temporis omen habet.  
Kos testor Musæ, veterum tutamina morum,  
Scitis enim, & multos gratia vestra juvat.  
Teque Themis testor, quæ nunc in imagine tota  
Laudis es, en unquam dignior alter erat?

111.

Illa quidem, placido quæ ridet ab ore, venustas  
 Publica produci te duce in ora fugit;  
 Proque rudimento, quos vos desertis honores,  
 Et solidæ laudis nobile calcar habet.  
 Vos contra Charites, Musa, Phæbusque Themisque  
 Et columen Batavi docta Minerva soli,  
 Vicina toties vigilem spectastis ab æde,  
 Hoc agite, & vestro reddite more vices!  
 Quæ negat ipse sibi BAGKERUS præmia famæ  
 Publica, vos plausu congeminate pari.  
 Accessisse velim, nisi me leviora secutum  
 Vox humilis merita deseruisset ope.  
 Applaudo, ut possum, & mea se gratantibus infert  
 Musa, voluntatem testificata suam.  
 Nec nunc exili defungi carmine pulcro  
 Officio gestit, sed nova vota facit.  
 Et te per titulos utcunque sequetur avitos,  
 Quo tua te virtus intemerata vocat.  
 Tunc arti vires, filis modo parcite Parcæ,  
 Hinc amor, hinc Patriæ publica causa dabit.  
 O ita sim felix! ita tu maturior annis,  
 BACKERË, Amstelidum sis Patriæque decus!

HENR. SNAKENBURG.







**Österreichische Nationalbibliothek**



**+Z205482909**

Digitized by Google

